12. Avril 1336.

Baillivo Rothomagensi aut ejus locum tenenti salutem. Cum dilectus et fidelis Archiepiscopus Rothomagensis consiliarius noster asserens quod vice comes Rothomagensis in Civitate Rothomagensi tres clericos videlicet Magistrum Richardum de S^to^ Salour Magistrum Thierricum de Brebantia et Joannem de Fontanis vestes et habitum deferentes clericales et in possessione clericatus existentes justitiabiles et subditos dicti Archiepiscopi

Du vol. 69. cotte 114 fol. 572 R°.

ut dicebat ceperat seu capi fecerat pro suspicione fabricationis falsorum florenorum de florentia et falsorum cinquorum eorumdem peteret dictos prisonarios tanquam Clericos et subditos suos sibi reddi et restitui pro justitia exhibenda de eisdem, praedicto vicecomite ad hoc vocato et dicente nos et praedecessores nostros franciae Reges ac dilectum et fidelem Ducem Normaniae filium primogenitum nostrum Charissimum esse et ejus praedecessores fuisse ab antiquo, etiam a tanto tempore cujus contrarii memoria non existit in possessione quoscumque personas cujus cumque status aut conditionis existant etiam Clericos quarum cumque falsarum monetarum fabricatores capiendi incarcerandi corrigendi et puniendi, et quod ob hoc dicto Archiepiscopo praenominati reddi non debebant, sed ipsorum detentio penes ipsum remanere debebat; plures ad hoc rationes

allegando Procuratore dicti Archiepiscopi
plures rationes e contrario proponente,
tandem Curia nostra super his per
eumdem vicecomitem nobis scripsit post
quam nos Curiæ nostræ per Litteras nostras
dedimus in mandatis quod super his
ordinaret prout de ratione foret
ordinandum. constitutis itaque in ipsa
Curia nostra Procuratore dicti
Episcopi ex una parte, dicto que
vice Comite Rothomagensi ac
Procuratore nostro, advocatis que Consiliariis
nostris in Parlamento nostro super
præmissis quæ hinc et inde dicere et
proponere voluerunt diligenter auditis,
assertione que dictæ Curiæ nostræ per
dictos Procuratorem et advocatos nostros
facta quod dictam Suam in conscientia
sua deffendere nequirent nec saisinam
per dictum vice Comitem allegatam
sustinere, et etiam factæ nostræ Curiæ

relatione per dictum vicecomitem quod
Advocati et Consiliarii nostri in
partibus Normaniæ prædictæ dicebant
restitutionem prædictam fieri debere. —
ac reperto quod magistri Clerici Chicardus
et Thierricus sunt clerici et in possessione
Clericatus, vestes et habitum deferentes
Clericales dicta Curia nostra ordinavit
præsentibus ad hoc dictis vicecomite
Procuratore que et advocatis nostris
et per ordinationem hujus modi dicto —
vicecomite præcepit quod ipse prænominatos
duos Clericos eidem Archiepiscopo seu ejus
gentibus redderet et restitueret indilate
dicto vice comite dicente quod ad hoc non
consentiebat nec dissentiebat quamvis dicti
Procurator Advocati et Consiliarii nostri
ad hoc se consentirent et dicerent dicto
vicecomiti ipsum consulendo quod etiam
per dicta sua ad hoc se consentire poterat
et debebat; ordinavit etiam dicta Curia

nostra quod detentio punitio et Correctio
praedicti Joannis De fontana conjugati
et sine habitu Clericali reperti penes
dictum vicecomitem remanebit quocirca
mandamus et Committimus tibi quod
praesentem ordinationem ipsius Curiae
nostrae teneri et Compleri facias et juxta
sui tenorem Executioni demandari Datum
&c dictis partibus auditis die duodecima
e Aprilis ./.